PAVLI. MANVTII EPISTOLARVM LIB. IX ET. X

CVM. PRIVILEGIO

Aldus Iunior

VENETIIS. ∞ DLXXI
In Aedib. Manutianis

Effigies Aldi Senioris.



Lectori.

QVI . LIBRI
CVM.ALDI.IVNIORIS.NOMINE
SENIORISQ. EFFIGIE
IN . POSTERVM . EDENTVR
EOS . TANTVM . SCITO
MANVTIANAE . EDITIONIS
ESSE

EPISTOLARVM PAVLI. MANVTII
LIBER. NONVS

NICOLAO. CAETANO CARDINALI

E GO *uero fratris tui, Principis optimi, filios, praestanti ingenio adolescentes, & libenter sum complexus: &, perspecta singulari probitate, atque ad bonas artes propensione, quotidie magis utrumque diligo. Sed, ut illorum praeclara ad uirtutem indolem, pro mea erga familiam uestrã peruetere, perpetuaq. obseruantia, uehementer laetor: sic ad excolenda eorum ingenia quod attinet, nec mihi uacui temporis esse quãtum res exigit, nec facultatem, quae uoluntatem aequare possit, non mediocriter angor. quamquam illis, ut uideo, quae aliunde petuntur, intra domesticos parietes abunde omnia suppetunt. ut enim reliqua omittam, cum in tuam uitam intuentur, cum tuos mores, tua instituta, tua studia, contemplantur, nullam praeterea disciplinam, nullius uocem, aut praecepta desiderant. uerumtamen si quando acciderit, ut ab ijs occupationibus, quarum concursu paene obruimur, respirare liceat, deesse uestrae cupiditati non patiar industriam meam. quod ut enitar, hortantur quidem*

multa, nihil tamen magis, quam epistola tua, quae me cum sermonis elegantia, tum significatione amoris, & iudicij de me tui sic affecit, ut nihil umquam senserim iucundius. Vale. X. Kal. *Apr.* MDLXIX.

PAVLO. MANVTIO
S. P. D.

SVPERIORIBVS *proximis diebus sumpsi mihi quiddam non alienum, ut arbitror, ab officio meo, neque tibi aduersum, cum optimo animo tuiq. amantissimo, quae te ratio impulisset, ut de optimo Imperatore Maximiliano, Domino meo, uere recteq. cogitata, & ad Sambucum nostrum perscripta, ex libro epistolarum tuarum tolleres, & bene culta euerteres, exquirere non dubitaui. Magnum enim atque graue aliquid fuisse, quod te ipsum quasi, ad cuius laudes amplificandas illa, quae diuulgaueras, pertinebant, inuerterit, statuebam, & quin hoc cum iniuria, quae capiti Reip. Christianae fieret, coniunctum esset, dubitare non poteram. Itaque cum te, propter excellentem omnium liberaliũ doctrinarum cognitionem, animo meo egregie carum habeam, & tibi aliquid a maleuolis instillatum, quo minus in recta sententia maneres, putem, erigere te, atque confirmare rursum meis litteris uolui. Spero autem, ac potius confido, te pro singulari tua humanitate & probitate in optimam hoc accepturum partem, ac maiorem mihi, cui Caesar intime est notus, fidem habiturum, quam hominibus*

Im-

Imperatoris opt. & inuictiss. tuisque laudibus inimicis, meq. dubitatione & cura, quam ista mutatione, cuius nulla uera ratio excogitari potest, nobis iniecisti, leuaturum. Id ut facias, & hanc meã curiositatem (licet hoc nomen in uitio ponatur) ab omni maleuolentia disiunctissimam, ac potius cum summa erga te beneuolentia, fideque, quam integerrimã Caesareae Maiestati quoad uixero praestabo, coniunctam esse tibi persuadeas, in maiorem modũ peto. Bene uale. Viennae, ex aula Caesarea, IX. Kal. Iunij, MDLXIX.

Ioannes Crato a Craftheim,
S. Caes. Maiest. Cons. & Medicus
intimus.

IOANNI. CRATONI
Viennam.

SI *quis est, uir praestantissime, qui constantia delectetur; & quam semel consilij uiam ac rationẽ est ingressus, in ea libenter pergat, is ego sum, & eum esse me non mediocriter gaudeo. sed, ut te non fugit, singulari doctrina ac sapientia uirum, in hominum uoluntatibus nihil esse perpetuum necesse est: nec uidetur in aliquam culpam incidere, aut male de se ipso consulere, si quis ita uitam instituit, ut eius consilia ratio temporum moderetur, ac regat. Ego olim in illa mea ad Sambucum epistola, quid cogitarem, declarandum putaui. nam, etsi de studijs*

meis humiliter admodum sentirem, nec satis fore sperarem, ut ex ingenio meo quidquam depromerem, quod si ad Maximilianum, Regem tunc Romanorum inclytum, nunc Imperatorem, mitteretur, aditum mihi ad eius beneuolentiam patefaceret: suasu tamen amicorum, assiduisque sermonibus in eam mentem impellebar, ut maximo Principi, erga liberales omnes disciplinas egregie animato, notam esse cuperem industriam meam. nunc mutata mea ratio est. Romam euocatus a Pontifice, sic impedior negotijs, sic a studijs auellor, ut, quae de litteris nostris opinio fuit, si modo ulla umquam fuit, ea nihil dignum, in summa temporis inopia, praestari a me posse confidam. porro, quod pollicebar, cum posse perfici sperabam, id, spe sublata, cur pollicear, non uideo. nisi si, quod a mea non solum natura, uerum etiam consuetudine, semper abfuit, eos imitari uelim, qui maiorem ex inani quadam ostentatione, quam ex ipsa ueritate, uoluptatem capiunt. Nam quod uereri te ostendis, ne maleuolorum opera & artificio factum sit, ut a pristina sententia discederem: patere, obsecro, persuaderi tibi, primum, id quod res est, mutationem fecisse me uoluntatis, non iudicij: deinde, illa ipsa mutatione uoluntatis, quam nulla temeritas attulit, sed ab inuito necessitas expressit, nihil animo meo molestius, nihil acerbius accidere potuisse. quid enim? an ego uel ita hebeti sum ingenio, ut, quibus uirtutibus tanta Maiestas ornata sit, non intelligam; uel ita improbo,

ut,

ut, quae laudes tantis uirtutibus debeantur, non confitear? istam calumniam, opinor, neque qui studia mea, neque qui mores nouerit, in me conferet. In quo tamen, ut ingenue fatear, est quod me mordeat. qui enim alios, homo minime fallax, ex ingenio meo antea metiebar, nunc demum, quasi admonitus officio litterarum tuarum, incipio suspicari, posse aliquem, quod a me ratione, ut arbitror, optima factum est, id, aut ignoratione consilij mei, aut suae fortasse naturae uitio, deteriorem in partem interpretari. neque, huic malo quae mederi ratio queat, dispicio: nec possum, in optima animi cõscientia, non aliquam tamen ex aliena suspicione molestiam trahere. Tibi quidem, Crato optime, cum & me uerbis exquisitis in epistola tua elegantißima, ac plane omnium, quas adhuc legerim, prudentissima, laudaueris, & ea simul scripseris, quae profecto, nisi me ualde diligeres, & nisi de mea existimatione ac laude laborares, tibi numquam in mentem uenire potuissent, quas gratias debeam, facile uideo; quas agere possim, non reperio. quod tamen in me est, ut meritum tuum perpetua memoria colam, & singulari te ipsum amore complectar, quod uirtuti quoque tuae, omnibus notissimae, libenter tribuo, id si omittam, nefario me scelere deuinctum putabo. Vale. Romae, Idibus Sept. M D LXIX.

EIDEM, Viennam.

Et *serius, quam tu fortasse exspectabas, & breuius omnino, quam uterque nostrum uellet, ad te scribo. id accidit ualetudinis incommodo, non obliuione tui, ad quem quotidie mentem refero, & ea sane uoluptate, qua maior esse nulla possit. quod si corporibus animi mederentur: facile sanaret hunc morbum, quo quinctum iam mensem laboro, iucundissima recordatio humanitatis, & beneuolentiae erga me tuae. alleuari tamen uideor, dum de te cogito, tecúq. quasi loquor. calores exspecto, ualetudini meae semper utiles. nam hiems, & ueris inconstantia, cum hic mali prope frigore, male me uehementer habuit. Si ualebo, exspecta epistolam bene longam. interim ama me, ut facis. Vale. Romae. Kal. Mai.* MDLXX.

Laborabam *eodem, quo antea, morbo, & quidem aliquanto etiam grauius. ita Dei uolũtas fert. nec satis cõstat inter medicos, qui sit exitus futurus: meus animus, ut ingenue tibi fatear, aberrat a bona spe, quippe aetate ingrauescente, ualetudine perimbecilla, morbo plurimorum mensium. Te rogo pro nostra necessitudine, si quid mihi acciderit humanitus, filium meum Aldum, qui uiuit Venetijs, tuis officijs, tuaq. humanitate complectaris. Ego, si diutius uita fruar, nullum, mihi crede, erga te amicissimi*

atque

atque obseruantissimi hominis officium praetermittam. Haec quoque aliena manu: nam meae uim penitus omnem ademit morbus. uide, qui sim, mi Crato. Vale, & posthac Venetias, quo me breui conferre cogito, ad oratorem uestrum litteras mittes. is mihi eas reddendas curabit. &, quamquam fieri potest ut inde me Patauium, ualetudinis curandae gratia, conferam; tamen discedens mandabo meis, ut litteras mihi tuas eo mittant.

EIDEM, Viennam.

NVNC *demum exoriri mihi uideor, & quasi post multam noctem lucem adipisci, reuersus post annos decem in patriam ab urbe Roma, unde me, laborem nullum pro publica re, communiq. commodo recusantem, grauis morbus ac diutunus extrusit. Gratulantur amici, amplexantur, laetitiam oculis, uultu, sermone declarant. Hoc mihi iucundissimum est: sed, in hac iucunditate, angor saepe intimis sensibus, dum recordor, quid iacturae, quamdiu Romae uixi, studia mea fecerint: de quibus, quamquam intelligo non eum esse me, qui magna praestare possim, uerumtamen minima fortasse non erat exspectatio. Ire, inquies, non oportuit. Certe, si diuinare licuisset. uerũ, si res adhuc integra ponatur, eundi consilium qui reprehendat, fortasse nemo sit. Laborabam domesticis incommodis, fratrum meorum culpa: nec spes erat emergendi, nisi noua consilia caperentur. Vocabar*

a Pon-

a Pontifice Max. quo nihil uideri poterat honorificentius: fructum autem quis non exspectaret? Cohortabantur amplissimi uiri, quorum erga me singularem beneuolentiam multis rebus antea perspexerã, laeta denique, copiosa, ampla ab omnibus omnia promittebantur. quid agerem? credidi, & speraui: ut fere sumus omnes homines hoc ingenio, ut ea, quae cupimus, libenter quoque speremus. quamquam hoc leuius, quod spem fefellerit euentus: non tam enim abundare, quam non egere, gratum est: illud perquam graue, quod perpeti saepe multa sum coactus, indecora prorsus, indignaq. studijs nostris, aetate nostra, existimatione ante parta. In quo tamen occurrit ea consolatio, quod, in illo uitae durissimo genere, multa ferendo, multa simul didici, quae profecto me numquam neque libri, neque ulla doctrina, neque dies ipsa docere potuisset. Nunc, singulari diuino munere patriam adepti, redibimus ad illa praeclara studia, unde discedere non oportuit; omniq. prorsus cura uacui, nullo cuiusquam imperio, exclusis etiam, si licebit, interpellatoribus; si non licebit, rure abditi, salubri aliquo, & amoeno loco, fruemur, liberrimo otio, litterulis nostris; operamq. dabimus, quantum in nobis erit, ut, quod amissum est antea temporis, non id quidem totum, (qui enim fieri potest?) nonnulla tamen ex parte sarciatur, & aliquem adhuc ex industria nostra fructum posteritas capiat. Valetudine modo utamur commoda, qua nunc omnino caremus, erepta laboribus illis, ani-

miq.

miq. curis, quae nimium omnino graues, nimium diuturnae, fuerunt. Febris discessit post nouem tandem menses: sed inedia, morbo, maerore, ad horribilem prope maciem redacti sumus: quodq. miserius etiam est, aluum purgare, nisi accedant extrinsecus adiumenta, numquam licet. Huic ariditati asininum lac prodesse in primis posse, neque huic remedio ullum praestare, inter omnes medicos conuenit. In cibo sicca omnia damnant, humida probant, praesertim quae facilia sint ad cōcoquendum. Pono magnam spē in eorum consilijs, maiorem tamen in animi tranquillitate, in adspectu meorum, in caeli patrij salubritate. denique ad omnipotentem Deum omnia refero. quidquid acciderit, eius uoluntati libenter acquiescam. Haec de statu nostro: utinam quotidie laetiora. quod futurum spero, & sane tua quoque caussa cupio. necesse est enim, quem ualde ames, (sic enim mihi iam persuasi) de eo ualde te sollicitum esse. Ad illam superiorem epistolam, Romae scriptam pluribus uerbis, exspecto, quid respondeas. Vale. Venetijs, x. Kal. Nou. MDLXX.

BOTVITO. NERICIO
Senas.

VELLEM, *ut, quam libenter eos homines complector, quorum in sermone & in moribus aliqua signa uirtutis, & integritatis elucent, tam saepe accideret, ut eos colere officijs, ornare uerbis, aliqua demum uel tueri, uel augere facultate possem. profe-*

cto animus meus, cui multis rebus fortuna defuit, & tibi, & alijs tui similibus longe pateret illustrius. hanc tu fortasse uoluntatem meam, nullo quidem adhuc insigni merito declaratam, spectas, cum mihi gratias agis, quod te, cum Romae esses, humaniter acceperim, &, in summa mea occupatione, numquã tamen aditu, numquam sermone excluserim. quae tu pro tua bonitate magni beneficij loco ducis: ego, si quis ea praestet, non tam laudandum, quam, si omittat, uituperandum puto. Quod uero de scriptis meis ita sentis, ut ea cum uehementer ipse probes, tum a tua sententia non discrepare commune iudicium dicas: istam equidem opinionem tanti aestimo, quanti aestimari debet ea laus, quam, eruditorum ac sapientium uirorum consensu & approbatione nixam, inuidia aut maleuolentia labefactare non queat. uerumtamen, qui me probe norim, uereri saepe cogor, ne te quidem amor, multos fortasse fallat auctoritas tua. ac, si me audies, cui debes in ea re, quae ad me ipsum pertinet, obsequi non inuitus, parumper moderabere posthac iudicium de me tuum: ne, dum existimationi meae nimium studes, tuam in discrimen adducas. Sunt enim quaedam pestes hominum, quibus aliena laus ita molesta est, ut, quidquid alijs addatur, sibi detractum putent; & omnem detrahendi obtrectandi ue locum sic arripiant, ut ex aliena ignominia sibi laudem quaerere uideãtur. De mutatione illa, quam feci in epistola ad Sambucum, & prudenter, & amanter iudicas. scripsi,

cum

cum impedimento nihil fere uidebatur, quo minus id, quod cogitabam, ad exitum perducerem: induxi, cum propter assidua negotia studijs meis ita diffiderem, quasi nihil ne mediocriter quidem eruditis auribus, non modo Imperatore Maximiliano dignũ, afferrre iam possent. utriusque consilij caussam ad Cratonem perscripsi. spero fore, ut meum factum, de quo, parum aequis animis nonnullos iudicare, litterae tuae significant, uir optimus ac prudentissimus non improbet. quod si euenerit, tanti hominis auctoritate sustentatus, non equidem dicam, quid alij sentiant, non laborabo, sed certe multo minus: cum praesertim te quoque, florentem ingenij, probitatis, doctrinae fama, tui iudicij testimonio mihi non defuturum intelligam. Vale. Romae. XIIX. *Kal. Oct.* MDLXIX.

AVGVSTINO. ANGELELLO Fabrianum.

NEC *filius adest, profectus Venetias cum matre ante aliquot dies: nec mihi a grauioribus curis tantum spatij relinquitur, ut binis tuis litteris pluribus uerbis respondere possim. hoc tantum habeto, delectari me uehementer diligentia tua, qua te uti uideo tum in describenda, tum in mittenda ad nos antiquitate. gratias agerem, si hoc uno contentus officio essem, aut hoc a te crederem exspectari. in Orthographiae libro, cum rursus edetur, aut in eo, qui apparatur,*

tur, ueterum inſcriptionum, carere te tua laude non patiar. ita noſtra conſuetudo fert: ita poſtulat & amor in nos tuus. Reliqua, cum uacabimus, ſi modo id aſſequemur umquam: quod ſane non tam noſtra, quam aliorum cauſſa cupimus. Vale. Romae. VII. *id. Maij.* MDLXVII.

EIDEM, Fabrianum.

DE *inſcriptionibus ad me miſſis, noli exſpectare dum tibi gratias agam. nam neq. id patitur amicitia noſtra; & officium tuum, ſaepius iteratum, gratiarum actionem requirere iam non uidetur. Quod ad meos Commentarios attinet, uelim hanc moram aequo animo feras. quotidie enim aliquid additur, aut mutatur. ita, ſi quam facit in tempore iacturã, eam tibi re ſarciam. equidem iſtam amo cupiditatem ſcriptorum meornm: in qua te ſocios habere multos intelligo. utinam otium contingat, ut eam explere aliquando poſſim. Vale. Romae.* IV. *non. Sept.* MDLXVII.

EIDEM, Fabrianum.

PVTO *te ab Onuphrio Gilio, tui amantiſſimo, certiorem non ſemel eſſe factum inualetudinis meae: qua nonum iam menſem ita laboro, ut neque ratione uictus, neque ullo remedij genere adhuc quidem alleuari potuerim. itaque miſere iaceo, ſpe iam de-*

ſtitu-

stitutus omni, praeter eam, quam in caeli mutatione multi ponendam arbitrantur. quorũ ego libenter accedo sententiae. exire propter nimios calores nondum licuit. Sed ego exeundi consilium ita cepi, ut Vrbem plane relinquam, & ad patrios lares, & dulcia incunabula remigrem. in quo Pontifex, ut est insigni praeditus humanitate, facilem, perbenignumq. se praebuit. Si quaeris, laetior, an tristior discedam: non facile dixerim. ita multa occurrunt, quae animum ac uoluntatem huc illuc distrahant: propensior tamen in hanc partem sum, ut post annos decem, aetate ingrauescente, urgente praesertim difficili morbo, ad patriae complexum recurrã: cuius adspectus, non dubito, quin mihi amissam molestissimis curis hilaritatem restituat. quam si quis afflictae ualetudini haud paullo magis, quam orientalia quaeuis pharmaca, prodesse dixerit, opinor non errabit. Eamus igitur dijs bene iuuantibus, & redeamus aliquando ad illa studia, unde discedere piaculum fuit. quod utinam per ualetudinem liceat. nam per negotia certe licebit. ita res meas constitui: ita, quae dissipata erant in domesticis rationibus, collegi, atque contraxi: ita denique, quod accipi quasi dictum arroganter nolim, humana omnia propemodum coepi contemnere. De discessu igitur fixum consilium est: de die nondum statui: sed, ut hiemales imbres, tempestatesq. uitentur, ante Kal. Oct. cogitamus. Onuphrius hic remanet, meo sane cum dolore: non solum enim eius opera utebar in studijs, uerum

rum

tur, ueterum inscriptionum, carere te tua laude non patiar. ita nostra consuetudo fert: ita postulat & amor in nos tuus. Reliqua, cum uacabimus, si modo id assequemur umquam: quod sane non tam nostra, quam aliorum caussa cupimus. Vale. Romae. VII. *id. Maij.* MDLXVII.

EIDEM, Fabrianum.

De *inscriptionibus ad me missis, noli exspectare dum tibi gratias agam. nam neq. id patitur amicitia nostra; & officium tuum, saepius iteratum, gratiarum actionem requirere iam non uidetur. Quod ad meos Commentarios attinet, uelim hanc moram aequo animo feras. quotidie enim aliquid additur, aut mutatur. ita, si quam facit in tempore iacturã, eam tibi re sarciam. equidem istam amo cupiditatem scriptorum meornm: in qua te socios habere multos intelligo. utinam otium contingat, ut eam explere aliquando possim. Vale. Romae.* IV. *non. Sept.* MDLXVII.

EIDEM, Fabrianum.

Pvto *te ab Onuphrio Gilio, tui amantissimo, certiorem non semel esse factum inualetudinis meae: qua nonum iam mensem ita laboro, ut neque ratione uictus, neque ullo remedij genere adhuc quidem alleuari potuerim. itaque misere iaceo, spe iam destitu-*

stitu-

stitutus omni, praeter eam, quam in caeli mutatione multi ponendam arbitrantur. quorũ ego libenter accedo sententiae. exire propter nimios calores non dum licuit. Sed ego exeundi consilium ita cepi, ut Vrbem plane relinquam, & ad patrios lares, & dulcia incunabula remigrem. in quo Pontifex, ut est insigni praeditus humanitate, facilem, perbenignumq. se praebuit. Si quaeris, laetior, an tristior discedam: non facile dixerim. ita multa occurrunt, quae animum ac uoluntatem huc illuc distrahant. propensior tamen in hanc partem sum; ut post annos decem, aetate ingrauescente, urgente praesertim difficili morbo, ad patriaẽ complexum recurrã: cuius adspectus, non dubito, quin mihi amissam molestissimis curis hilaritatem restituat. quam si quis afflictae ualetudini haud paullo magis, quam orientalia quaeuis pharmaca, prodesse dixerit, opinor non errabit. Eamus igitur dijs bene iuuantibus, & redeamus aliquando ad illa studia, unde discedere piaculum fuit. quod utinam per ualetudinem liceat. nam per negotia certe licebit. ita res meas constitui: ita, quae dissipata erant in domesticis rationibus, collegi, atque contraxi: ita denique, quod accipi quasi dictum arroganter nolim, humana omnia propemodum coepi contemnere. De discessu igitur fixum consilium est: de die nondum statui: sed, ut hiemales imbres, tempestatesq. uitentur, ante Kal. Oct. cogitamus. Onuphrius hic remanet, meo sane cum dolore: non solum enim eius opera utebar in studijs, uerum

rum etiam conuictu, sermone, probitate, ingenio ita fruebar, ut hanc iacturam sarcire me posse uix umquam putem. non deerunt omnino, quibus utar: sed, praeter operam, alia desidero: hoc adolescente nihil aptius ad naturam meam. Te, mi Augustine, quamquam longe disiunctus, tamen prorsus non carebo. quae enim tua est humanitas, qui tuus in me amor, scribes interdum ad me. ego autem, licet otium & litteras, si ualebo, ita amplecti cogitem, ut diuelli me non facile patiar, tamen a te, uiro optimo, nostri, quod facile perspexerim, cupidissimo, atque amantissimo, non committam, ut in hoc genere prorsus requiri possit officium meum. Vale. KAL. *Sept.* MD LXX.

HERCVLI. CYOPHANO
Sulmonam.

NON *possum non amare uehementer industriam tuam, qua te uti uideo in emendando gentili tuo, poeta summo. perge, ut coepisti: nam & gloriae tuae consules, & alios ad eandem laudem excitabis. Victor ad Aemenios, magis arridet, quam, Victor Iolciacos: accedente praesertim antiqui libri testimonio. Regius autem, inania captans, ueritatem quaerebat in tenebris. Tu longe certiora sequeris: itaque tibi libenter assentior. Vale. Romae.* XIII. *Kal. Apr.* MDLXIX.

EIDEM, Sulmonam.

INSCRIPTIONES *illae nihil habent, quod oblectationẽ aut doctrinã legentibus afferre posſit. quod ſi ſimiles occurrerint, inanem laborem ſuſcipere te nolo. De Ouidij loco, ad tuam ſententiam opinionem meam adſcribas, licet. Regius ille ſaepe alucinatus. tu ſi perges ut coepiſti, poetam ingenioſum, ciuem tuum, a mendarum labe, non mediocri tua cũ laude, uindicabis. Vale. Romae. Pridie* KAL. *Sex.* MDLXIX.

M. ANTONIO. CYOPHANO Sulmonam.

EXCUSAREM *tibi tarditatem litterarum mearum, niſi Hercules frater tuus, quae meae uitae ratio ſit, quam aſſiduis, quam uarijs impedita negotijs, optimus teſtis eſſet. atque ego illi, cum me rogaret, ut aliquid tibi reſcriberem, deeſſe mihi dixeram non modo otium, ſed etiam argumentum. nam de paracleto, ſane mirabar non probari tibi ſententiam parentis mei, praeſertim quae rationibus optimis niteretur. cetera uero in tuis litteris erant eiuſmodi, ut a te non negotij, ſed animi cauſſa ſcripta uiderentur. quod ſi mihi haec impoſita condicio ſit, ut eorum omnium, qui quotidie non modo ex Italia uni-*

 uerſa,

uersa, uerum ex transalpinis quoque gentibus ad me scribunt, rescribere litteris necesse sit; inique mecum agatur, & prorsus inhumane. cuius enim otij est, cuius etiã ingenij, tot epistolis posse respõdere latino praesertim sermone, in quo mihi, propter eam, quã nõnulli de scriptis meis opinionẽ habẽt, nõ licet esse negligenti? At officij praetermissi grauẽ esse culpã dices. Si simplex officiũ agitur, iure dices; sin eueniat, ut concurrant officia duo; certe, posse alterum omitti sine culpa, & minori maius anteponi, aut fateberis, aut in grauem ipse culpam incides. magnam enim, nisi distinguantur officia, rerum omnium humanarum perturbationem sequi necesse est. Simili, ut opinor, in loco mea caussa uersatur. Cum enim sacris libris, qui ad Christianae reip. salutem pertinent, & corrigendis, & edendis, cum salutationi uirorum honestissimorum, qui frequentant aedes meas, cum etiam studijs nostris, uel ut instituta absoluam, uel ut absoluta perpoliam, danda opera est; scilicet eius temporis, atque eius operae partem, rebus grauissimis detractam, ad inanes epistolas transferam. inanes appello, quia uideo multos, cum scribendi caussam aut perquam leuem, aut etiam nullam habeant, ideo tamen scribere, ut meas litteras eliciant. quod nisi statim assequuntur, indignantur, & maiorem suae uoluntatis, quam occupationis meae rationem habent. Ab horum numero libẽter te, mi Cyophane, seiungam. non enim dubito, quin me diligas, uel tua sponte, propter communia studia, uel imitatione iu-

uenis

uenis optimi, atque eruditi, Herculis fratris tui. a quibus autem diligi me puto, de ijs ut bene ſentiam, non aegre a me ſoleo impetrare, atque utinam, quã propenſo erga utrumque ueſtrum animo ſum, tam facile uobis animum inſigni aliquo merito probare poſſim. quod equidem enitar: & , ſi contigerit, uehementer laatabor: ſin minus, uos tamen amplecti uoluntatem meam, eaq. contentos eſſe, & humanum in primis, & aequum eſt. Vale. Romae. XII. *Kal. Dec.* MDLXIX.

IOANNI. CASELIO
Florentiam.

AEQVE, *ut uideo, laetamur, tu mea erga te, ego tua in me beneuolentia. quae ſi orta eſt ab opinione uirtutis, ut certe eſt; non dubito, quin perpetua ſit. tu enim, quas artes a puero colere coepiſti, in ijs quotidie magis ut excellas, operam dabis: ego te, inani fortaſſe conatu, (nã aduerſantur multa) ſtudio tamen, & uoluntate, quantum licebit, imitabor. Nericium tuum quis non amet? mihi crede, tuarum litterarum teſtimonio, aut commendatione non eget. me quidem ita ſibi deuinxit officio ſuo, non modo ut omnia, quae poſſum, ſed etiam quae non poſſum, eius cauſſa cupiam. iam de eius ingenio, doctrina, eloquẽtia quid ego tibi, cui notior eſt, quam mihi? praedicabo igitur alijs: uel quod amor impellit: uel*

quod ornare uirtutem, nostrae consuetudinis est. Vale, mi Caseli, nosq. ut facis, ama. Romae. XII. *kal. Oct.* MDLXIX.

FRANCISCO . PLANTEDIO
Manfredoniam.

ET *serius, quam tu exspectabas, & breuius fortasse, quam uterque nostrum uellet, respondeo litteris tuis. quamquam, cum tibi nota esset occupatio mea, erat humanitatis & prudentiae tuae, silentium meum in bonam partem accipere, & amici hominis commodo consultum uelle: cum praesertim, iudicium meum de tuis uersibus cur expetas, caussa nulla sit. tu enim hoc in genere ita es uersatus, ut excellas: ego saluere Musas iussi ante aliquot annos, nec poetas iam conor attingere: aut, si interdum, ut oblectem me potius, quam ut imiter. quod si tu meũ iudicium anteponis tuo, quod ego ne comparo quidem: errare te facile patiar, neque committam, ut meam frustra sententiam exquiras. Mihi quidem ea, quae scripsisti ad Rotam, uatem aetatis nostrae celeberrimum, ualde probantur. habent leporem, nec tamen grauitate carent. totum poema (sic enim uideor appellare posse) luminibus ingenij, doctrinaeq. distinguitur. Sic perge: sic ibis ad astra, praesertim oratoria quoque facultate, ut uideo, non mediocriter instructus. Commentarium meum in epist. fam. dederam amico describendum: sed eius operam*

casus

casus nescio quis interpellauit: edetur aliquando uel hic, si licebit, uel certe Venetijs: quod minime uel lem absente me. post discessum tuum addidi non pauca, quaedam perpoliui. Cupio salutari a te ueterem patronum meum, omni laude praestantem, Cardinalem Comensem, cuius erga me officia, dum uiuam, animo ac memoria tuebor, praedicare numquam desinam. Vale. Romae, VII. *Kal. Oct.* MDLXIX.

IACOBO. GORSCIO
Cracouiam.

PARTICVLAM *litterarum tuarum, in qua scribis ad amicum tuum, audisse te, exclusum esse Roma Paulum Manutium, (haec enim ipsa uerba ponis) legi sine molestia. qui enim rumor nec si uerus esset ualde afficeret animum meum, subsidia sibi ad omnes casus ex optima conscientia quaerentem, is cum sit falsus, & inanis, quid est cur me tangat? Equidem si scire uis, qui sit meus hac tota de re sensus, inclusus potius mihi uideor esse, quam exclusus. a quo enim die Romam ueni, exeundi facultas, quam saepe ualetudinis, interdum animi etiam caussa optaueram, data numquam est: non quin ijs hominibus, qui tanti apud me sunt, ut eorum uoluntatem nutumq. quasi legē obseruem, utar facillimis: sed commissum fidei, diligentiae, industriae meae negotium eiusmodi est, ut absente me iacturam patiatur. quod si priuata mea res ageretur, neglige-*

rem fortasse: nunc, ut scire te arbitror, totum hoc munus ad sedis Apostolicae dignitatem pertinet: pro qua si accideret ut uitam profundere opus esset, praeclare mecum actum putarem. Hoc meum studium placere bonis uiris, & ipsi in primis Pio V. Pont. Max. nihil omnino probanti, nisi quod ad summi Dei gloriam, communemq. salutem referatur, ita laetor, ut ceterorum opiniones, & iudicia contemnā. quid enim laborem, quid de me sentiant, aut loquantur ij, qui ne sincere iudicare possint, liuore impediuntur, aut maleuolentia, fortasse etiam hominem in saluberrima tollendae prauitatis haereticae cura diu noctuq. uersantem, non labori, non ualetudini parcentem, parum aequis oculis adspiciunt? sexcentas enim artes, quibus caussa publica laedatur, quotidie ueterator ille magnus, generis humani sempiternus hostis, excogitat. Sed nomini meo, quantum uolunt, isti detrahant: me tamen, ut ab optimorum consiliorum cursu, rectissimaq. mente deducant, nūquam assequentur. Te quidem ista, mi Gorsci, quae aut a leuissimis hominibus temere, aut ab improbissimis callide disseminantur, si putem credere, ignorare uidear & prudentiam, & bonitatem tuam: ut ingenue tamen tecum agam; post illa uerba, exclusum esse Roma Paulum Manutium, optaui signum aliquod uel iudicij, uel saltem amoris in me tui: iudicij, ut hoc adderes: Quod uerisimile non uidetur: aut etiam, Quod de tali uiro uix crediderim: amoris, hoc, aut simile: Quod cupio esse falsum: Quod si uerum

rum est, doleo. Haec tu si sic scripsisses, cum amicitiae nostrae, tum constantiae quoque tuae satisfecisses: illa quidem ipsa uerba, quae subacerba nonnullis ui deri fortasse posint, condimento quasi aliquo miti gasses. Vtraque est a te omissa significatio: & quam quam utraque mihi aeque grata futura esset, quippe qui a bonis eruditisq. uiris, idest a tui similibus, non minus probari, quam diligi uelim: tamen nescio quo modo fit, ut, amori te nihil dedisse, aliquanto molestius feram. Qua de re scripsi ad te libere, pro mea consuetudine: neque tamen dubito, quin tu hoc ipsum, quod scripsi, pro tua humanitate aequi boniq. facias. Nam de statu rerum mearum mihi ipsi, auctori satis bono, uelim credas, non modo Romae esse me, uerum etiam libenter esse, existimatione integra, re familiari aucta potius, quam imminuta. Vale. Romae. VI. *Kal. Oct.* MDLXIX.

IO. BAPTISTAE. OLIVO Asulam.

ETSI, *cum haec scripsi, non satis commode ualebam, dedi tamen operam, humanitate coactus litterarum tuarum, ut aliquid rescriberem. Laetor per iucundam tibi esse recordationem ueteris amicitiae, consuetudinisq. nostrae: sed maioris laetitiae caussam afferunt officia tua, quibus uxorem meam primum, graui morbo affectam, deinde filium, non minus grauiter laborantem, assidue coluisti. Vtinam,*

quam debere me fateor, aliquando referre gratiam possim: habebo quidem merito tuo parem, quamdiu uita contigerit. De statu rerum tuarum, ex Laelio Gauardo, probo iuuene, mihiq. suis moribus, & sua uirtute carissimo, cognoui ea, quae uehementer optabam; diligi te, & coli a bonis, honestisq. ciuibus; opera, opeq. tua multos adiuuari; augeri quotidie opinionem probitatis, & doctrinae tuae. quo tibi nomine plurimum gratulor: quaeq. tam praeclarae industriae, tam propensae ad communem salutem uoluntati, praemia debentur, ea non dubito quin tibi nunc quidem homines, olim uero Deus opt. Max. uberrima persoluat. Vale, & uxori, filioque, quorum in salute sita mea salus est, humanitatem, & diligentiam, si nondum conualuerunt, eandem praesta: a me uero, quaecumque ad commodum, laudemq. tuam pertinere intelligam, omitti posse nolim existimes: si quid ignorabo, admonitus a te uincam officijs meis opinionem tuam. Romae. pridie KAL. *Oct.* MDLXIX.

PRO. COLLEGIO. CANONICORVM S. PETRI

S.R.M. & Leonorae Austriae, sororibus Spiram.

BENE *agendi ratio maxime discitur eorum exemplo, quorum actiones generis nobilitas, aut splendor dignitatis illustrat. propterea neque optabilius quidquam est, quam ut Reges, Principesq. reliqui ad ornandam, tuendamq. Christi Ecclesiam, unde uera*

salus,

salus, aeternaeq. uitae felicitas emanat, suas omnes curas, omnia studia conferant: neque nos ex ulla re maiorem capere laetitiam potuimus, quam ex M. V. propensa ad cultum, ae uenerationem Apostolorum uoluntate, antea quidem nobis minime dubio multorum sermone, nunc autem insigni uestis aureae munere declarata. Et quamquam suae pietatis, perpetuaeq. innocentiae a Deo opt. Max. fructum illum capient, quo nihil potest esse praestantius: tamen nos quoque, ne partes nostrae desiderentur, primum gratias eis de ista liberalitate, istaq. mente quam licet maximas & agimus, & habemus: deinde fore pollicemur, ut exstet sui muneris memoria in annos plurimos inter ornamenta templi, in animis uero nostris numquam exstinguatur. Interim precibus omnibus, ut M. V. perpetuo bene sit, quaeq. optant, feliciter, prospereq. eueniant, a caelesti numine petemus. Romae. XVII. Kal. Ian. MDLXIX.

HIERONYMO . RVBEO
Rauennam.

EPISTOLAE *tuae, in qua significas Rauennatem historiam a te esse institutam, quaerisq. a me, quae ad eam pertineant, nonnulla, serius omnino, quam tu exspectabas, respondeo: sed obliuionis, aut negligentiae culpa liberat me diuturnitas morbi, quo primum leuiore commotus, postea grauiter perculsus, ad hanc fere diem iacui. alioqui meum in hoc*

genere

genere studium nec tibi defuisset, nec defuturum umquam, uelim existimes. non est enim meum, minimeq. decere arbitror, cum humaniora semper studia praecipue coluerim, nunc committere, ut humanitatis officia desiderare a me quisquam iure possit. Adde meam erga doctos homines, in quibus excellere te uideo, beneuolentiam: adde non mediocrem obseruantiam erga ciuitatem uestram; quae me olim adolescentem omni liberalitatis genere complexa, immemorem, aut ingratum, in ijs praesertim rebus, quas ad eius amplitudiuem, & gloriam spectare intellexero, profecto numquam sentiet. nec uero dici potest, quam ualde gaudeam, quod eniteris, atque elaboras, ut eius antiqua nobilitas, aeternis ingenij tui prodita monumentis, ab omni posteritate cognoscatur. nae tu iam nunc ista uoluntate magnam laudem consequeris: quid futurum putas, cum uoluntati res ipsa responderit? honestis consilijs Deus, hominesq. fauent: honestius autem nihil, aut praestantius, quã de patria bene mereri. Vrge igitur, & illustra, quantum in te est, gentiles tuos. quod eo tibi magis curae debet esse, quia memoriam publicam, uetustate iam deficientem, ab interitu uindicare non potes, quin priuatam simul tui nominis memoriam immortalitati commendes. In hoc argumento quid efficere, & praestare ipse possim, non equidem intelligo: uerum tamen, si quid possum, et si assequar aut legendo, aut cogitando, totum illud, quidquid erit, & quantumcumque erit, prolixe tibi, perliberaliq. animo & polliceor,

liceor, & defero. Nam illa, quae requiris, eiusmodi sunt, ut uel historiae ueteris testimonio, uel ipsa etiam coniectura explicari facile poßint. Si enim Caesarem, cũ utrique Galliae praeesset, in citeriore, conuentuum agendorum caussa, saepe hibernasse cõncedimus; id quod ambigere non licet: quis dubitet, quin Rauennae, quo nullum in ea prouinciae parte nobilius opidum inuenio, conuentum egerit? De foedere, ne hoc quidem uideo cur in dubium uocetur. urbs enim Cisalpinae Galliae Rauenna fuit: at Galli foederati. Locum Ciceronis in oratione pro Balbo, suffragante, ut uerba tua declarant, uetere libro, ita legerem: T. Caesium, uirum bonum, qui uiuit, Rauennatem, foederato ex populo. Ut primum patria, deinde patriae condicio ostendatur. nam si legamus, Qui uiuit Rauennae foederato ex populo: foederati populi nomen, idest T. Caesii patria ignorabitur. in quo repugnat Ciceronis consuetudo. neminem enim ciuitate Romana donatum appellat, quin patriam simul nominet. Q. Iubium, seu, Q. Iunium, cur non placeat, eadem ratione adducor. nam si hunc Rauennatem esse dicemus: T. Caesio quid fiet? an solus patria carebit? Dixi, quid sentirem, rogatus a te: nec mihi tamen arrogare tantum ausim, ut meum iudicium anteponam tuo. In amore, atque etiam in ijs officijs, quae amori debentur, me abs te uinci numquam patiar. Vale. Romae. Kal. Febr. M D L X X.

genere studium nec tibi defuisset, nec defuturum umquam, uelim existimes. non est enim meum, minimeq. decere arbitror, cum humaniora semper studia praecipue coluerim, nunc committere, ut humanitatis officia desiderare a me quisquam iure posit. Adde meam erga doctos homines, in quibus excellere te uideo, beneuolentiam: adde non mediocrem obseruãtiam erga ciuitatem uestram; quae me olim adolescentem omni liberalitatis genere complexa, immemorem, aut ingratum, in ijs praesertim rebus, quas ad eius amplitudiuem, & gloriam spectare intellexero, profecto numquam sentiet. nec uero dici potest, quam ualde gaudeam, quod eniteris, atque elaboras, ut eius antiqua nobilitas, aeternis ingenij tui prodita monumentis, ab omni posteritate cognoscatur. nae tu iam nunc ista uoluntate magnam laudem consequeris: quid futurum putas, cum uoluntati res ipsa responderit? honestis consilijs Deus, hominesq. fauent: honestius autem nihil, aut praestantius, quã de patria bene mereri. Vrge igitur, & illustra, quantum in te est, gentiles tuos. quod eo tibi magis curae debet esse, quia memoriam publicam, uetustate iam deficientem, ab interitu uindicare non potes, quin priuatam simul tui nominis memoriam immortalitati commendes. In hoc argumento quid efficere, & praestare ipse possim, non equidem intelligo: uerum tamen, si quid possum, et si assequar aut legendo, aut cogitando, totum illud, quidquid erit, & quantumcumque erit, prolixe tibi, perliberaliq. animo & polliceor,

liceor, & defero. Nam illa, quae requiris, eiusmodi sunt, ut uel historiae ueteris testimonio, uel ipsa etiam coniectura explicari facile poßint. Si enim Caesarem, cũ utrique Galliae praeesset, in citeriore, conuentuum agendorum caussa, saepe hibernasse concedimus; id quod ambigere non licet: quis dubitet, quin Rauennae, quo nullum in ea prouinciae parte nobilius opidum inuenio, conuentum egerit? De foedere, ne hoc quidem uideo cur in dubium uocetur. urbs enim Cisalpinae Galliae Rauenna fuit: at Galli foederati. Locum Ciceronis in oratione pro Balbo, suffragante, ut uerba tua declarant, uetere libro, ita legerem: T. Caesium, uirum bonum, qui uiuit, Rauennatem, foederato ex populo. Ut primum patria, deinde patriae condicio ostendatur. nam si legamus, Qui uiuit Rauennae foederato ex populo: foederati populi nomen, idest T. Caesii patria ignorabitur. in quo repugnat Ciceronis consuetudo. neminem enim ciuitate Romana donatum appellat, quin patriam simul nominet. Q. Iubium, seu, Q. Iunium, cur non placeat, eadem ratione adducor. nam si hunc Rauennatem esse dicemus: T. Caesio quid fiet? an solus patria carebit? Dixi, quid sentirem, rogatus a te: nec mihi tamen arrogare tantum ausim, ut meum iudicium anteponam tuo. In amore, atque etiam in ijs officijs, quae amori debentur, me abs te uinci numquam patiar. Vale. Romae. Kal. Febr. MDLXX.

CLAVDIO. STRAMBONIO
Romam.

FATEBOR *ingenue,ut & consuetudo mea,et amicitia nostra postulat:putaui te,pro tua prudentia,& aequitate, amore erga te meo contentum esse:amoris fructum, & officia requirere numquam putaui:cum praesertim,si quis est, quem distringant curae non quotidianae tantum, sed etiam permolestae,is ego sim.quod tu cum scias, & mecum tamen sic agas, quasi nescias: quid suspicer? me abs te non amari? siquidem,quos amamus,eorum commodo, libenter consulimus.odi istam rationem:errare malo cum tanta uoluptate, quantam opinio mihi affert beneuolentiae tuae,quam id cogitare,quod si credã, iniucunde uiuam.quid enim profecerunt studia mea, illa,illa,quae tu dilaudare interdum solitus es: aut quid egi tantis uigilijs pro communi utilitate susceptis,siquidem hoc non sum assecutus, ut, quibus laborem minuit labor meus, ab ijs mihi merces beneuolentiae nulla persoluatur. ac uelim credas, non me tamen,si quid mihi hoc nomine debetur,id ab omnibus exigere. instar omnium pauci futuri sunt: & in hoc ipso paucorum numero in primis esse te, uehementer cupio.amo enim tuos mores: ingenium pluri mi facio:studia laudare numquam desino.possum autem,ex ista mente quae uirtutum ubertas aliquando futura sit,facile diuinare. & hac equidem spe, si uerum*

rum scire uis, tacturam illam, quam interitu Iulij Pogiaui Romanae litterae fecerunt, aliquanto leuius fero. nam, si contexes extrema cum primis, teq. ipse, ut soles, ad summam eloquentiae laudem incitabis: non dubito, quin paucis annis Latinae linguae amissam prope dignitatem restituas. quod eo facilius fore uideo, quia tu, non contentus inani uerborum sonitu, quo delectantur multi, prudentiam simul ex iure ciuili, rerumq. maximarum scientiam ex philosophiae fontibus hauriendam iudicas. Quibus caussis adductus, egregius ille uir, omni praeditus ingenij suauitate, Castilioneus Cardinalis, quem tu nobis, in tanta similium uirorum paenuria, ereptum iure doles, ita te ferebat in oculis, ut nemini concederet, qui tui amantior esse posset. Sed illum iam lugere desinamus: quid enim lacrymae proficiunt? aut etiam, (si ueritatem consulimus: quod facere debemus) qui ab ijs malis, quibus referta est hominum uita, hac praesertim aetate, ad aeternas beatissimorum sedes migrauerit, cur eum lugendum putemus? Haec igitur, quae praeter nostram uoluntatem accidunt, ad summi Dei uoluntatem referamus? ita fiet, ut ea uel modice doleamus, uel ne dolenda quidem existimemus. Vale. Romae. IIX. id. Maij. MDLXIX.

PAVLO. TACHONO
Vibonem

DELECTATVS *sum litteris tuis, non quia me ornant laudibus, sed quia beneuolentiam erga me tuam declarant. amari enim ab eo uiro, de quo bona omnia boni omnes praedicant, & optabile in primis est, & multorum diuitijs, atque opibus anteponendum. Quare hoc ego nomine mihi gratulor. iudicio autem de me tuo, etsi uix fieri posse arbitror, ut respondere possit industria mea: tamen, siue recte sentis, gaudeo; siue erras, error quoque tuus, ut uere dicam, mihi periucundus est. Locus Ciceronis, de quo meam sententiam exquiris, totus, ut arbitror, a coniectura pendet. itaque, destitutus historiae testimonio, affirmare nihil ausim. quod si tu, ubi obscura ueritas est, uerisimilia non contemnis: fortasse non improbabis quod scripsi in meis commentarijs, dixisse Ciceronem, Abutor coronis; quia cum olitorem calfieri uellet, qui sibi interdum coronarum munuscula miserat, abuti coronis, idest, malam ei gratiam referre uidebatur. Haec, ut dixi, e coniectura. tu, si quid habes certius, imperti: & uale. Romae. XV. Kal. Apr.* MDLXIX.

IO. BAPTISTAE. IANVARIO Vibonem.

NEC *mea ualetudo, graui iam quattuor fere mensium afflicta morbo, permittit, ut multa, nec humanitas, ut nihil omnino litteris tuis amantißime scriptis respondeam. quamquam, si quis est, cui liceat hoc officium sine culpa praetermittere; aut is ego sum, aut prorsus nemo. obruor enim epistolarum numero, quae quotidie mihi ab ignotis hominibus, ex longinquis regionibus, non necessario plerumque mittuntur argumento. Ego autem neque hoc inaniũ, & ambitiosarum litterarum genere natura delector: & si uelim id suscipere, ut unus omnibus respondeam, quid me laboriosius, aut etiam quid stultius esse possit? cum praesertim ualetudine utar infirma, negotijs autem curisq. urgear eiusmodi, quae uel firmissimam defatigare ac frangere omnino poßint. Ergo habenda mihi ratio est, quae non habetur ab alijs, cum occupationis meae, tum etiam salutis. quod si hominibus mei amantissimis in mentem ueniret: aequis animis meam caussam perpenderent: non otium meum ex otio suo metirentur: ita ad me scriberent, ut rescribendi necessitatem non imponerent. Duo genera excipio, uel qui scribunt ijs de rebus, quae ipsorum uehementer intersint; quibus deesse, contra officium est; uel si qui sunt, qui, quacumque de re scribant, ita diserte loquuntur,*

tur, ita ornate, ut eorum uirtus, & eloquentia, non modo quae possum, sed ea quoque quae non possum, postulare a me suo quodam iure, atque exigere uideatur. Hoc ego te in genere, Ianuari doctissime, cõstituo. tu enim quamquam ad ea indaganda, & perscrutanda, quibus inuentis, rerum obscurissimarum uis & natura patet, assidue totus incumbas; & in hoc studio ita uerseris, ut omnino cum paucis excellas: tamen, quasi hac una laude non contentus, ita colis, itaq. tenes latinam linguam, ut oratione tua nihil purius, elegantius, illustrius esse uideatur. quod si cuperem laudari, de quo laborant multi, ego quotidie minus minusq. curo: a nullo, mihi crede, mallem, quam a te. sed cum hanc in me cupiditatem siue aetas, siue ualetudo, siue ratio exstinxerit: ita non moueor ijs laudibus, quas tú amplissimas in me contulisti, quasi nihil ad me pertineant, aut quasi sensu prorsus omni caream: amore quidem tuo, unde laudes istae manãt (sic enim interpretor) mirabiliter delector: eumq. ut eadem, quae peperit, perpetuo alat, atque augeat humanitas tua, uehementer opto. ego enim, non modo ut parentis beneuolentiã praestem, uerum etiam ne genus ullum obseruantiae, studij, officij, quod ad te ornandum attineat, praetermittam, pro uirili mea parte operam dabo. De uersibus, iocari te facile patior, & in ludicro argumento ingenij praestantiam ostendere. Sed noli a me exspectare, ut paria paribus. te enim, ut alumnum suũ, perpetuumq. cultorem, amplexantur Musae: me,

qui,

qui, salute iam pridem illis dicta, ad oratores me contuli, nunc, si quando ad eas conor accedere, ut alienum, ac transfugam, a se repellunt. Vale. Romae, Idibus Aug. M. D. LXX.

ANTONIO. FVRNARIO
Neapolim.

ET *ualemus, & satis iucunde uiuimus, re domestica ita iam constituta, ut adolescenti filio, quem unicum habemus, cogitandum de uirtute potius, quã de fortuna uideatur. nam, quod ad me attinet, hanc habeo senectuti gratiam, ut pauca iam requiram: uel quod ad illa longe meliora properamus: non enim longe abesse uidetur ille portus, quo peruehi cupimus ex diuturna tempestate; uel quod stultum putamus, ea quaerere cum labore, quae nec si adipiscare, molestiae finis est. quod te quoque, excultum litteris hominem, sentire arbitror: & hoc equidem nomine cum te diligo uehementius, tum diligi a te cupio. Memoria nostri tua, muneribus declarata suauissimis, periucunda nobis est. Vale. Romae.* X I I X. *Kal. Febr.* M. D. L X I X.

EIDEM, Neapolim.

QVAE *solet ex carissimis, iucundißimisq. rebus percipi uoluptas, eam ipsam ex epistola tua cepisse me, prorsus uelim tibi persuadeas. hoc adeo*

inde perspicies, quod in magna ualetudinis aduersae molestia, defatigato etiam curis animo, committendum tamen non putaui, ut amicitiae nostrae, & humanitati erga me tuae debitum rescribendi officium non prosoluerem. Probari a te mea scripta, atque etiam laudibus ornari, siue tu id iudicio tribuas, siue amori largiaris, aeque gaudeo. nam si estudijs meis fructum aliquem exspecto: quis uberior aut praestantior laudatione doctissimi uiri? sin litteris ita utor, ut praeter eas ipsas nihil cogitem; quod his temporibus facere prope necesse: amari tamen a te, quem qui non amat, hominem uix puto, in primis optabile est. Ac de isto quidem tam illustri, aut opinionis, aut uoluntatis testimonio mihi uehementer, ut debeo, gratulor; tibi uero gratias agerem, si te putarem hoc officij genere delectari: quod certe tua bonitas respuit; aut si ego is essem, qui officio deunctus aliquo, libentius in agendis, quã in referendis gratijs operam collocarẽ. De tuo statu, si est, ut uolumus, et si nihil anno superiore accidit incommode; bene est: de meo, quem uicissim tibi pro mutuo inter nos animo curae esse non ignoro, satis multa me scripsisse existimabo, si hoc unum scripsero, languere me quotidie magis in earum rerum cupiditate, quas mirabar antea. aetas hoc fortasse fastidium parit: uerumtamen ratione potius assequi mihi uideor, ut ita sentiam. quid enim appetam, cum nec sciam, quid utile futurum sit, nec iam usura possit esse diuturna? appropinquat enim dies,

qui nos ex immensa errorum caligine ereptos, in aeterna ueritatis luce constituet. quae me quidem cogitatio nec secundis rebus laetari, nec nimis angi patitur aduersis. Munusculum, quod ad me singulis annis cum pulcherrima epistola mittere non desinis, pensio quaedam amoris est: qua ego te, amore ipso contentus, ea condicione libero, ne scribere tamen desinas. aequiore enim animo omnibus muneribus, quam suauitate tuarum epistolarum, carere possum. Vale. Romae, XIIX. Kal. Febr. M. D. LXX.

EIDEM, Neapolim.

NON *patiar ignorare te, quod gratum, & per iucundum tibi fore arbitror, uiuere me nunc in patria, & plane uiuere. fruor enim rebus ijs, sine quibus uita prorsus nulla est, propinquis, amicis, libris, ipsa demum libertate, qua nihil est carius. nam Romae, tantum aberat, ut otioso liceret umquam esse, ut negotiorum assiduis quasi fluctibus obruerer. Longius a te absum: quid refert? ne Romae quidem cum essem, fore speraui, ut umquam te uiderem: cum aetas utriusque, ualetudo, uitae genus peregrinari nos non sineret. habet autem hoc amor a uirtute ortus, ut absentes coniungantur animis, & sit inter eos, recordatione mutuae uoluntatis, & beneuolentiae, tanta suauitas, quantam uix, aut ne uix quidem ulla potest afferre con*

ſuetudo. at plerique homines quotidiana fere ſalutatione, collocutione, familiaritate, beneficijs etiam, atque muneribus, ali, & conſeruari amicitiam putant: niſi haec adſint, deficere, & exſtingui. ſtulte. nam, ſi ab honeſto manat amicitia; nulla re indiget, ipſa ſe ſua ſponte, ſuisq. uiribus, tuetur, ac ſuſtinet: ſin aliunde oritur; infirma ſemper, inops, inconſtansq. ſit, neceſſe eſt; a fortunae uarietate pendeat; multis uitijs, & mutationibus, laboret. Ergo nos a uulgo recte diſſentimus, & a uulgi conſuetudine noſtra ratio in primis abhorret: cum amemus inter nos amore ſingulari, nec tamen inter nos officia multa interceſſerint, aut alter alterum de facie norit: quod multo minus, ob longinquitatem locorum, in poſterum continget: & uoluntatis tamen aut ego tuae mutationem, aut tu meae, non eſt, cur extimeſcas. Cupio te ualere, & interdum, ſi uacabis, ad me ſcribere. Ego commodius, quam Romae, ualeo: quid mirum? qui tranquilliſſimo animo uiuam, & ualetudinem, ab omni occupatione longe remotus, praecipue curem. deſiderari autem litteras a te meas non patiar, ſi placere tibi ſenſero officium meum. Vale. Ex opido, Plebe Sacci; quo me ſaepe conferam, ualetudinis, animiq. gratia: addo illud, ne ſtudia colenti, quibus carui diutius, quam uellem, interpellatores moleſti ſint. III. non. Nou. M.D.LXX.

EPISTOLARVM PAVLI. MANVTII LIBER. DECIMVS

AMPLISSIMO. CARDINALI IOANNI. MORONO

TVRPE *est praescribere sapienti, quid agat, & quo modo agat: neque ego id umquã cõmiserim: neque id est aut cõsuetudinis, aut naturae meae: uerumtamẽ excusandus fortasse uidear, si uel a mea maxima re, quae nũc agitur, uel ab humanitate tua, quã omnes norunt, & praedicãt, persuaderi me patiar, ut agã tecũ paullo liberius, quod sẽtio, et quae cum animo meo sum meditatus, eadem nunc expromam, nihil dissimulans, nullo ueritatem artificio tegens. Ego, uir praestantissime, quoad putaui, te, uti pollicitus eras, acturum esse cum Pont. de caussa mea, laetabar uehementer, & in hac aduersa ualetudine, quae mihi omnem ademisse iucunditatem uidebatur, aliqua tamen uoluptate perfruebar. sperabam enim fore, ut auctoritas tua, prudentia, eloquentia, praesertim in optima caussa, facile impetraret ab aequissimo ac benignissimo principe non immoderatum aliquid, aut eiusmodi, quod inuidiam excitare posset: non enim ego*

ita efferri cupiditate soleo: quid igitur? annuam tantum ordinarij stipendij solutionem: ut quẽadmodum Pius Quartus Pontifex, immortali memoria dignus, uenientem ad urbem insigni uiatico donauerat; sic Pius Quinctus, omni uirtute ac laude praestans, ab Vrbe discedentem non modo simili, sed maiore etiam munere prosequeretur. in quo ratio uidebatur habenda aetatis meae, habenda ualetudinis, habenda etiam meritorum meorum. quamquam de meritis, ita me Deus amet, loquor non libenter: aduersatur enim modestia mea: sed hoc uerbum expreßit ab inuito dolor, & eorum temporum memoria, cum in meum nomen inuehebantur multi, aliena conferentes in me, mea mihi detrahentes. Hoc igitur alloquendi Pontificis, & cum eo statuendi, consilio tuo, quasi rebus meis nulla iam tempestas immineret, & quasi iam in portu nauigarem, ita laetabar. Postea uero quam de Mariano Victorio, summae probitatis, rarae doctrinae, excellentis industriae uiro, cognoui, acturum te esse de negotio meo in eo conuentu, qui primus habebitur eorum Cardinalium, quibus alẽdorum in Vrbe studiorum, moderandiq. Gymnasij publice demandata cura est: plane sum admiratus mutationem consilij; &, ut ingenue fatear, quem admodum natura mea fert, nec bonitas tua recusat, ex alta quadam spe deturbatus concidit, afflictusq. iacet animus meus. equidem ijs Cardinalibus tantum tribuo, quantum eorum summa uirtus,

ac dignitas postulat: aeque omnes diligo, aeque co lo: sed ad eos certe nullam arbitror negotij mei partem attinere. A Pontifice sum Romam accersitus: a Pontifice discedendi facultatem peto. si potestas quaeritur: unius est summa. si liberalitas: unus unico uerbo pollicetur, & praestat. si dignitas: quae maior est, quam a Pontifice uocatum esse, a Pontifice cum benignitate dimitti? Haec mea consilia sunt: quibus tamen, ut debeo, anteponam tua. satis enim exploratum habeo, nihil te cogitasse sine summa ratione, nihil acturum sine summa prudentia. & mihi, parum in usu rerum uersato, obscura multa sunt: tu tamquam Lynceus uides omnia, probatus per totam aetatem ijs actionibus, & curis, unde salus publica minime dubio bonorum omnium testimonio manauit. Ego me semel, non temere, aut repentina quadam uoluntate impulsus, sed explorata ratione, certoq. iudicio adductus, in clientelam tuam tradidi: me, liberosq. meos tuae potissimum fidei, beneuolentiaeq. commisi. eadem mihi perpetuo mens, eadem, quoad uiuam, in te uno sita spes erit. tu me ornandum, augendum, tuendum suscepisti: saepe uidi pro uarietate rerum mearũ, & laetitiam, & sollicitudinem tuã: nunc tamquam bonus artifex tuum ut perpolias opus ac perficias oportet. expedi, obsecro, me hac molestia: uel potius, hoc me periculo libera. uides enim, cum Romano caelo minime iam conuenire mihi posse: adductam esse in extremum fere discri-

men salutem meam: autumnum aduentare, cuius uarietatem, & inconstantiam, hic si permansero, mea certe nequaquam feret imbecillitas. Venetias multis nominibus cogito. idq. mihi primum est & praeter cetera optandum: sed si uel per Pontificem, quod non opinor, uel per quotidianam febrē, quod magis metuo, patriam, longo terrarum ac maris interuallo disiunctam, petere non licebit: deponam uoluntatem meam, suscipiam eam, quam necessitas afferet. accedam ad Sabinos colles: quos florere audio regionis amoenitate, caeli temperie, omnium rerum, quas hominum uictus, cultusq. desiderat, ubertate. Interea me tibi totum, salutemq. meam quam suppliciter possum commendans, ac tradens, negotij administrandi rationem singulari tuae sapientiae permitto. Vale, VII. Kal. *Sept.* M.D.LXX.

AMPLISSIMO. CARDINALI GVLIELMO. SIRLETTO

AVGERI *tua uetera erga me merita recentibus officijs, nec miror, & uehementer gaudeo. quamquam ueteribus contentus esse poteram: erant enim eiusmodi, ut addi nihil posse uideretur: sed tamen, ut uideo, tua nunc quidem ad ea permultum addidit humanitas. & quamquam neque tua, neque collegarum tuorum, Moroni, & Cornelij, de uiatico mihi impetrando summa contentio quidquam*

quam profecerit: aeque tamen uobis omnibus debeo, ac si profecisset plurimum. est enim animi liberaliter instituti, spectare uoluntatem in primis; minime quidē rem contēnere, potiorē tamē ipsa re uoluntatē ducere. sane optimi Pontificis angustias temporū difficultas excusat: uerūtamē ĩgrauescēti hoĩe aetate, nō solū infirma, sed etiā aegra ualetudine, ĩparatū a re domestica, cū filia nubili, ab Vrbe Roma, cuius nomē omnia pollicetur, post decē annorum labores, suis sumptibus in patriā redire, iis fortasse, qui haec solent animaduertere, admirationē aliquam pariet. Et quamquam ea, quae bonis artibus debentur, ratio temporum impediat, ut etiam liberalissimorum Principum uoluntas in optimo bene merendi cursu retardetur; me tamen a litteris nulla res abducet, si modo assequi otium licebit. satis cū uulgo insaniuimus: ambigua certis, turbulēta tranquillis, inania solidis praeferentes. aetas & praeteriti iactura temporis admonet, ut resipiscamus, quodq. reliquum est uitae, uiuamus nobis ipsis, bonis artibus, Deo potissimum, a quo uno, siquid aut ingenij, aut doctrinae in nobis est, cū accepimus; ad eiusdem unius gloriam omnes ingenij, doctrinaeq. fructus referre in primis aequum est. Vale, & tibi persuade, neminem esse, uel umquam fore, qui tuam praestantem uirtutem aut magis amet, aut libentius praedicet. Cardinalem Carafam, iuuenē natum ad immortalem gloriam, exemplum antiquae probitatis, cuius humanitati, qua

me semper est complexus, debere me plurimum fateor, nisi graue est, meo nomine salutabis. VII. *Kal. Oct.* M. D. LXX.

EIDEM, Romam.

QVIDQVID *tuli, dũ in patriam reuertor, suaue est: tuli autem aspera, grauia, difficilia, sanequam multa; & eo magis, quod asperitates omnes aegra ualetudo, & corporis imbecillitas, uehementer augebat. Quae dum ferrem, haec mecum loquebatur animus: Sustine, praeteritorũ memoria, futurorum spe; & cogita, quas turbas reliqueris, quibus laboribus emerseris, quam tranquillitatem, quam quietẽ, petas. In patriam tendis, refertam bonis omnibus. ibi te complexu excipiet dulcissima coniux, languẽtem fouebit, infirmum reficiet, afflictum subleuabit: nullum obsequij, studijq. munus abesse patietur. Erat haec duris in rebus optima consolatio. Itaque laetus nonnumquam eram, in dolore, ac molestia comitum meorum. nunc, assecutus ea, quae speraui, in unam curam incumbo, ut perditam ualetudinem restituam. diuturnitate morbi, & inedia, corpus iam, & uires amiseram. accessere itineris incõmoda, quibus ita consumptus humor omnis est, ut nimia siccitate uitae periculum impendeat. in reuocanda potißimum* τῆς κοιλίας εὐλυσία *medici laborant; quam si assequor, conualuisse mihi prorsus uidebor. dici non potest, quo desiderio teneor studiorum*

rum nostrorum. quasi ceruus ad fontem, si per ualetudinem licebit, sitibundus accurram. tua mihi consuetudo, tua uirtus ante oculos erit: quam imitari non desinam; & eo quidem animo, ut in ipsa imitatione magnam felicitatis meae partem statuam. assequi enim, quod optimum, atque perfectissimum est, non cuiuis contingit: uelle tamen, & conari, non mediocri dignum laude ducitur. Cupio conseruari ueterem amorem in me tuum, meritis quidem a me nullis, perpetua tamen cultum obseruantia. quam eandem semper, aut etiam, si modo ad eam accedere quidquam potest, quod ego non arbitror, maiorem fore tibi confirmo. Vale.

MATTHAEO. SENAREGAE Genuam.

IAM *prorsus de uelluto spem abieceram, (utar enim noto uerbo: nam ueteres aliter loquebantur) nisi tu, rursus ut eam susciperem, tuis proximis litteris effecisses. exspectabo igitur, & quidem breui, (sic enim uis) aduentum propinqui tui, quem, arbitror, in itinere philosophos ambulantes imitari. nã tribus mensibus non modo Genua, sed ab ultima Lusitania facile ad urbem peruenire potuit. Verum ego fortasse calumnior: & illi moram, homini industrio, & agenti strenue suam rem, negotia diuturniorem, quam opinãbatur, Florentiae, uel Senis iniecerunt. sic enim existimo: reliqua fere per iocum,*

Simiolus,

Simiolus, ut uideo, tibi quoque molestus. est. duci enim te uides fictis uerbis: nihil cohortatione, nihil admonitione profici: quidquid dicat, inane esse. itaque molestia te affici, necesse est, uel mea caussa, uel quia rei te mouet indignitas. ac uereor ne semper eodem loco simus, nisi tu des operã, ut ei per aliquẽ tuorũ iudiciũ intentetur, & a lictore publico uocatus ad iudicem, serio rem agi sentiat. Artes hominis praedixi. quo turpius est falli, & sinere eum diutius tibi uerba dare. quare, si me amas, quacumque uia potes, urge, & contende omnibus neruis: quamquam haec quidem res tuis neruis digna non uidetur: sed contende tamen mea caussa, ut euomat aliquando quidquid debet. quod si acciderit, atque adeo cum acciderit: cur enim dubitem, quin diligentia tua fructum pariat? non dicam, tibi agam gratias: non enim pateris: sed, tibi acceptum referam, ut alia multa: quae si obliuiscar, hominem me esse non putem. Vale, uale iterum, mi suauißime Matthaee; tibiq. persuade, me nulla magis in re, quam in tuis litteris, in amore, in studijs, officijsq. erga me conquiescere. XIIX. *Kal. Oct.* M.D.LXX.

ANDREAE. ANTONINO Ostianum.

NISI *me ualde amares, quod multis argumentis intellexi, subirasci te mihi crederem, quod litteris tuis amantißime scriptis nihil umquam re-*

sponde-

ſponderim. ſed ſi, cur officio defuerim, audias: non dubito, quin omni me prorſus & inhumanitatis, & negligentiae ſuſpicione liberandum putes. A quo enim tẽpore Roma diſceſſiſti, nullo difficultatis incõmodiq. genere; nulla fere dixerim miſeria negotia noſtra caruerunt. ex ea ſollicitudine, ac laboris aßiduitate incidi in morbum, cuius primum ui deterritus, deinde etiam diuturnitate defeſſus, tentatis prope rebus omnibus, cum neque periculi, neque moleſtiae finem uiderem, cepi conſilium in patriam reuertendi: extremoq. Septembri menſe, diſſuadentibus medicis, & amicis, aeger, in uiam me dedi. Piſaurum uſque morbus ingraueſcere uiſus eſt. adſpectu maris, quaſi iam in oculis diu expetita patria eſſet, propinqui boni ſpe, animus corpori medicinam fecit. febris abijt, ante quam Piſauro ſolueremus. ita Venetias, refecti cibo, paullo firmiores appulimus. malum illud remanet, ut inueteratis morbis fere contingit, quod aluo ſumus ita ſicca, itaq. reſtricta, nullo prorſus ut cibi genere molliri, ſoluiq. poßit. quod ſi perpetuũ eſſet, quid miſerius? ſed, ne perpetuum ſit, curabimus, & cauebimus, quibuſcumque rebus poterit; his primum, quae ſunt in nobis ipſis, quiete corporis, hilaritate animi, ratione uictus; tum ijs etiam, quae a medicorum ſcientia, conſilioq. proficiſcentur. Habes, id quod optaſſe te arbitror, de ſtatu meo: tu, ſi placet, uiciſſim aliquid de tuo. cum enim de te, tuisq. rationibus certior fieri pro noſtra

stra necessitudine maiorem in modum cupio: tum sermone litterarum tuarum purissimo atque elegantissimo, mirifice delector. Vale. Venetiis.

FRANCISCO. MORANDO
Veronam.

QVAE *me caussae, minime natura procliuem ad noua consilia, nunc impulerint, ut negotium illud Romanum, quod Pius Pontifex Max. decem abhinc annis honorifico quingentorum scutatorũ stipẽdio mihi demãdauerat, reijciendum putarem, non facile est scribere: uelim quidem existimes, eiusmodi esse, ut aliter statuere meis rationibus alienissimum fuerit. Illud certe fieri non poterat, ut cũ illo mihi amplius caelo conueniret. Quod experiri, constantiae caussa, dum cupio, parum abfuit, quin ipsius caeli adspectum, usumq. perdiderim. Nouum igitur consilium capiendum necessario fuit, si modo mihi carus esse uellem, si salutis, quam omnes antiquissimam habent, rationem ducere, si denique uitae munus, a Deo datum, eousque tueri, & custodire, quoad ille ipse, qui dedit, arbitratu suo repeteret. Veni domum. hic uero me summa quies, & domestica cõmoda, maximaeq. fidelissimae, atque amantissimae coniugis cura tanta, quanta potest esse maxima, plane recreauit. Febris abijt, nec tamen ualemus. morbi enim reliquiae supersunt, magis prope timẽdae, quã morbus ipse. q enim ualere possum, aut etiã quid non timeã, cum attenua-*

tum

tum, exsiccatumq. corpus naturali munere fungi sua sponte nunquam possit? quae res neque molestiae parũ habet, & si inueterauerit, periculo non uacat. Hoc igitur malum nisi depulero, ualere me nõ dicam. Studia nostra, remissa occupationibus, retenta tamen animo, attingere nondum audeo; ne stomacho, unde fluxit omne malum, praepropera cupiditas obsit. Sed heus, mi Morande, quando te complectar? quando adspectu, sermoneq. fruar tuo? tune ad nos, an ego ad te prior? Ego scilicet ad te. Ire enim, cum per anni tempus licebit, ad Gauderina balnea decretum est; quae quater antea sumpsi, nec umquam sine fructu: nunc eo sumam diligentius, quod maiorem aetas, morbiq. grauitas, ac diuturnitas cautionẽ postulat. inde excurrã ad te, ut te uideam, te complectar, tecum sim. De cydonite illa, exquisito artificio confecta, qua carui tot annos, interrupto locorum interuallis officij tui cursu, nisi tua sponte ad consuetudinẽ redieris, appellabo te quasi meo quodam iure, sic tamen, ut ipsũ ius e tua fluxisse benignitate cõfitear. Episcopũ Veronensem, eximiae sanctitatis & doctrinae uirum, nec minore praedium humanitate, uix credas, quam uidendi desiderio tenear. Obsecro, dic ei salutem uerbis meis plurimam. Tu autem uale, mi suauißime Morande, nosque, ut solebas, ama. Venetijs.

CAMILLO. PALAEOTTO Bononiam.

PVTASTI *ne umquam fore, ut ego me Romanarum occupationum e uinculis eximerem? certe factum uides. nec mihi uenit in mentem eius consilij paenitere: quin quotidie magis gratulor, quod illa reliquerim, haec sim adeptus; quod ab omni cura liber otio fruar honestissimo; quod ea nunc denique studia recolere mihi liceat, a quibus disiunctus tot annos uixi, uel potius plane non uixi. quae enim mihi potest esse uita sine litteris? ualeat ambitio, & fucatus opum splendor. nihil est, quod cum suauissima librorum consuetudine cõferri iure possit. qua mente cum essem, commisi tamẽ, ut aliter sensisse uidear, cum sententiam numquam mutauerim. nam ad urbem Romam eo quidem consilio sum profectus, domesticis ut rationibus consulerem, simul tamen id spectans, ne delicias meas, optimarum studia doctrinarum, prorsus desererem. aliter cecidit. quis me accuset inconstantiae? uicit meam uoluntatem potestas eorum, quibus, ut aequum est, non minus libenter, quam necessario, parui. sed mitto praeterita. quasi enim, ea dũ attingo, uulneris obductam prope cicatricem renouo. Hic me propinqui, familiares, noti pariter atque ignoti redeuntem excepere uoluptate summa. Vrbem priuatis aedificijs elegantiorem & publicis*

operi-

operibus magnificentiorem, quam reliqueram, inueni, praeterea, quamquam ardente bello, florentem ut in summa pace rebus omnibus, quae uel ad usum corporis, uel ad animi delectationem pertinent. quo dolere interdum, ac paene mihi succense re cogor, qui tot bonis, tanta tranquillitate, tanto etiam nobilium uirorum erga me amore tamdiu me carere sim passus. lucri tamen id factum est, quod, nisi hinc discessissem, diuq. abfuissem, haec ipsa profecto, quibus nunc ex interuallo recuperatis iucundissime fruor, numquam omnino, quanti essent, intelligere potuissem. itaque est, cur immortali Deo gratias agam, habeamq. maximas, quod mihi occasione grauissimi morbi, missionis a Pontifice petendae, ipsiq. Pontifici concedendae mentem attulerit. alioqui nec satis decorum putassem, nec umquã omnino commisissem, ut ante pactam diem negotium publicum, Vrbemq. relinquerem. In discessu commoda quaedam sperabantur; nec defuit intercedentium dignitas, auctoritas, gratia: ratio temporum est aduersata, Pontifice natura liberalißimo, Turcicum bellum, & praesentis futuriq. sumptus necessitatem excusante. mirum id uideri nonnullis. ego, qui propemodum id, quod accidit, opinione iam praeceperam, non sum commotus, ipsoq. missionis impetratae munere contentus, cetera non dixerim equidem contemnens, sed certe non maximi pendens, otij cupidus nihilo laetior discessi. Nunc habeo cum ualetudine negotium. eius enim morbi,

quo me scis, Romae dum essem, nec parum diu, nec leuiter laborasse, molestiae admodum reliquiae sunt. sed, ut spero sublatis iam caussis, quae morbũ & pep. re ant, et al. bãt, sedulitate, ac fideli meorum cura, adiuuante etiam huius caeli, quod in lucem editus primum hausi, benignitate, breui omnino conualescam. Tu interea fac ne officium desiderem litterarum tuarum. Vale. Venetijs.

E I D E M, Bononiam.

NAE *ego istam uillulam uehementer amo, quae te fessum urbanis curis leuat, reficitq. secessu, & otio iucundissimo: ubi te colligis, animumq. transfers ad contemplationem pulcherrimarum rerum: quid agas, quid cures, lex nulla praescribit: scribis, aut legis, arbitratu tuo: modo aprica deambulatione, modo prospectu collium, quandoque aperto puroq. caelo gaudes. nimirum hoc est uiuere; & ista solitudine, isto uitae genere, nihil beatius. cur ego tam lõge absum, cur negotijs impedior ijs, a quibus quo magis ut disiungar, diuellarque, operã do, eo me distringunt, retinentq. magis. mihi crede, si rerum domesticarum soluta ratio esset, aduolarem ad te statim, in ipsam inquam uillulam recta me conferrẽ, ut tua cõsuetudine, tuis sermonibus, tuo cõuictu fruerer: te denique discedente, custos remanerẽ, pomarij praefectus, uillicus plane tuus. quod si acciderет, ut istic exsulare perpetuo cogerer, modo te interdum socio, modo cum libellis, praeclare me-*

cum

cum actum putarem, multam salutem urbibus, mul tam honoribus, in quibus ceteri insaniunt, libenter dicerem. quid enim exspectem amplius? didici iam, & magna mercede sum expertus, quam inania sint illa, quae, communi deceptus errore, praeclara duxeram. magnae urbes, magnas occupationes, ne dicam miserias, habent. si quem delectat ambitio: siquis augendae rei familiaris cura tangitur: si, sen tentiam in curia dicere, aut a multis in foro salutari, inter summa ponit: urbem amet: me quidem posthac aemulum, riualemq. non habebit um quam. aetas nostra, mi Camille, ad otium uergit. uides, quam fluxa sint omnia: quam facile hunc & illum, florentes opibus, florentes aetate, repentina mors auferat: ut hoc ipsum, quod spatij nobis relinquitur, totum in lucro deputandum esse uideatur. ac fieri quidem potest, ut diu uiuamus: sed, obsecro, quid erit, cur nos diu uixisse laetemur, inter do mesticas curas, inter hominum fraudes, infidelitates, insidias, addo etiam publicas calamitates, qui bus anguntur boni uiri, quales nos & esse, & haberi uolumus? Amplectamur igitur studia nostra: remota ab arbitris loca, amoena, salubria, quaeramus: uulgi stultitias, ineptiasq. uitemus: animos excolamus, ut eas fruges ferant, quas nec caeli calamitas corrumpat, nec malus uicinus furto subtrahat, nec belli saeuientis impetus deuastet. In hac sententia te esse, & idem probari utrique nostrum, litterae tuae non minus ele

ganter, quam prudenter, scriptae significant. Sed impedita, propter domesticas difficultates, mea ratio est: tua longe facilior, & expeditior. nihil enim obstat, quo minus id, quod uis, exsequi, et praestare possis: ego uoluntate, & cogitatione pascor: ab ipsa re quam longe absim, intelligo. Nec tamen parum profeci, quod ab urbe Roma discessi. ibi enim ne spes quidem erat otij: hic saepe uaco: nec tempus perire sino: sed quod otij perpetuitate careo, identidem interpellantibus aut hominibus, aut negotijs; & quod angusta nimis utor domestica re; ideo fit, ut conari, & instituere multa possim, absoluere & perficere, praesertim quod exspectationi respondeat, nihil fere possim. Habenda est etiam ratio ualetudinis: quam uereor, ne in longum tempus afflixerit Romanum caelum, dicam, an negotium? an utrumque potius: quod ita esse reor. Sed, si ualebo, si rem familiarem ita constituam, ut absentis animum nihil pungat; imitabor, quantum in me erit, consuetudinem tuam, expertemq. culpae uoluptatem quaeram. &, quod te quoque facturum esse, uel potius iam facere coepisse uideo, in litteris, in colenda pietate, in summi Dei, summiq. boni, amore, & cupiditate conquiescam. Vale. Venetijs, Idib. Dec. ∞ D L X X.

EIDEM, Bononiam.

Nihil gratius oleis, uel earum magnitudine, uel condimenti suauitate, uel ipso amore tuo, qui te, ut mitteres, admonuit. Hispanis honorem tribuunt nobilium mensae, quia magnitudine ceteris antecellunt: mihi nescio quo modo subinsulsae uidentur. tuae nec magnitudinem desiderant, & carnis habent multum, et praestanti sapore commendantur. quare non ὄἴχεται, sed praeclare collocatur industria tua in oleario colendo. in quo multa consequeris. tibi, post urbanas curas, uoluptatem quaeris: domesticam rem iuuas: quamquam te quidem hoc arbitror in minimis ponere: amicos muneribus afficis: in quibus me non postremum locum obtinere, ita laetor, ut hac una saepe cogitatione in magnis molestijs non mediocre solatium inuenerim. Fruere, mi Camille, ista uoluptate, qua nihil honestius; isto industriae genere, quo nec liberalius, nec nobilius quidquam esse potest. Scis enim, quid de sapientissimis uiris proditum memoriae sit: agrestem eos uitam, expertem deliciarum, ab omni luxu, atque ab illa bonorum morum corruptrice copia remotam, uictu cultuq. simplici contentam, urbanae praetulisse; agro bene culto, & ipsa largo sinu suas opes effundente natura, nihil uidisse libentius. Quid magni Reges? nonne sua manu satas pulcherrimas arbores, apto ad speciem ordi-

ne,iucundaq.descriptione dispositas,exterarum nationum legatis gloriae caussa ostentabant? Hos qui student imitari,quis eos iure reprehendat? Vtinam fundus meus aut abesset propius,aut ea saltem regione esset, ubi caeli grauitas minime timenda uideretur. mihi crede, olearia ego quoque instituerem, rusticis me oblectarem operibus, ualetudini simul animoq. consulerem. quod aliqua tamen ut ratione consequar,quocumque loco,quacumque regione,operam dabo. Nam hic diu commorandi spem auferunt multa,sed maxime frigoris iniuria, & uinorum austeritas: quae,tenui corpore, imbecillo stomacho,ferre uix possum,uel plane nullo modo possum.itaque de migratione cogitandum.Vale. Venetijs,Kal.Ian. M.D.LXX.

FRANCISCO CICEREIO
Mediolanum.

QVAM uereor,optime ac doctißime Cicerei,quia serius epistolae tuae respondeo,ne quid suspicere de me durius: quod certe non debes. quo enim tempore mihi Romae reddita est, graui morbo laborabam: neque conualui, nisi post multos menses, nec in Vrbe, sed in patriam reuersus.nam ualetudini meae caelum illud, quo usus eram antea perbenigno, aduersari, & obesse ita coeperat, diutius ut ferre non possem. itaque fuit omnino,ut uitae consulerem, ab urbe discedendum. in quo summi Pon-

tificis clementiam, & facilitatem laudabo numquam satis: qui, de languore meo certior factus, cũ adhuc muneris mei susceptaeq. prouinciae menses non pauci superessent, abeundi tamen potestatem petenti aequissimo animo concessit. quam quidem eius benignitatem tanti aestimo, quanti suam quisque uitam & incolumitatem aestimare debet. uiuere enim diu me posse, aut recte saltem & firmiter umquam ualere, si permanerẽ ubi coeperam aegrotare, febri praesertim adhuc urgente quotidiana, plane desperabam. Haec si tu nosti: non dubito, quin purgatus tibi satis superq. sim. id enim aequitas, & earum artium, quas magna cum laude profiteris, humanitas postulat. Sin autem de statu meo nihil accepisti: mirari te fortasse non nihil decuit: male tamen de me, quasi officium negligerem, aut inhumanitatis uitio laborarem, quem scires ab homine omniũ officiosissimo, atque humanissimo, Octauiano Ferrario, diligi, existimare non oportuit. inter diuersa enim studia, dissimiles ue mores, amicitia non oritur; aut, si oritur, non diu certe conseruatur. similem sibi quisque ad amandum deligit: in quo errare se non putat: sed si errat, iudicium iudicio meliore corrigit, dissuta, non discissa, ut a sapientibus praecipitur, amicitia. At mihi cum Ferrario triginta iam annos, eoq. amplius, artissima intercedit necessitudo. quo primum die mihi cognitus est, ingenium, & futurae doctrinae principia perspexi; postea mores in consuetudine proba

ui: inde ortus est utrimque amor: qui ne umquam deficeret, aleretурq. potius, & ad summum perduceretur, ille suae uirtutis, ego meae meritis in illum obseruantiae, praestitimus. Hoc argumento, tu uide quid tibi sentiendum de me putes: ego, cum Ferrario, tali uiro, cuius non minus uita, quam scientia, bonis omnibus, recteq. intelligentibus probatur, placere me uideo, ipse mihi displicere non possum. Nam quod una cum eo Bartholomaeum Capram, Hannibalemq. Cruceium in caelum fers: plane tecum sentio, uel tu mecum potius: multi enim sunt anni, cum & hominum proborum, atque eruditorum celebri sermone commotus, & Ferrarij testimonio, quo quid grauius? impulsus, utrumque coepi diligere. Capram, iam tum audiebam, praeter ius ciuile, dignamq. nobili uiro multarum litterarum scientiam, insigni quadam erga bonos omnes, praesertim liberaliũ disciplinarũ amore flagrãtes, liberalitate excellere. quae laus eo pluris in priuato ciue debet aestimari, quo minus hodie in ijs qui beati propter opes putantur, idest in principibus ipsis, agnoscitur. Cruceij humanitatẽ expertus saepe sum in rebus meis: doctrinam e scriptis eius non uulgarem, praestãtem eloquentiam duxi. Quis igitur dubitet, (nam te quidem uix arbitror) quin ἀξίωμα illud apud me ualeat, quod tu lepide, uereq. induxisti: si tibi cum ijs uiris, quos ego uehementer amo, uehementerq. colo, optime conuenit, sequi omnino, ut mihi quoque tecum optime conueniat.

niat. sed, mihi crede, his argumentis iam non eget uirtus tua: quam probauit largita tibi sua iura, ciuitas omnium nobilißima: probauit, mandato tibi publice docendi munere, senatus ille, cuius ad sapientiam, & iustitiam, quasi ad sacram anchoram, rebus aduersis, aut dubijs, omnes confugiunt: probarunt denique suo testimonio, suaq. cõmendatione, tres illi uiri, omni prorsus laude cumulati. Quae cũ specto, mecumq. cogito: munus hoc amoris tui delatum ad me per litteras, & eas litteras, quibus ut nihil humanius, ita nihil poßit esse ornatius, quãtum sit, intelligo. in quo tuendo, augendoq. rebus ijs, quae significationem habere poterunt uoluntatis meae cum tua laude coniunctam, partes meae non desiderabuntur. tu uelim existimes, quod tibi nunc libenter promitto, multo facturum esse me opportuno tempore libentius. id si credis; & si utẽdum tibi statues in omni tua re studijs, officijs, facultatibusq. meis, & eo quidem animo, tamquam ea tibi non recentis, aut dubiae, sed ueterrimae, & multorum annorum usu confirmatae beneuolentiae iure debeantur: erit hoc alterum humanitatis tuae non uulgare munus: quo me tibi deuinctum perpetuo fore polliceor. Uale. Ex opido Plebe Sacci, VII. Id. Nou. M.D.LXX.

OCTAVIANO FERRARIO
Mediolanum.

Mi Ferrrari, si me tantum amas, quantum profecto amas: gratulari te mihi aequum est, quod exoptatae diu patriae compos denique factus post annos decem, tenui fortuna contentus ita uiuo, ut regum opes honoresq. contemnam. carebam otio, studijs, rebus multis ad meam naturam aptis: quae mihi nunc omnia Dei benignitas restituit: ijsq. fruor eo suauius, quo fit usus desiderij diuturnitate iucundior. Si quid praeterea non tam de meo, quam de meorum statu scire uis: ut fere, qui amant, curiosi sunt omnes: haec accipe. uxor, & filius in urbe, commoda uterque ualetudine, illa rem domesticam, hic officinam, emendandorumq. librorum curam administrat egregie. mihi, taedio diutinae commorationis urbanae, rusticari uehementer placet. quo primum afflictae diuturno morbo ualetudini consulimus; & imbecillo corpori uires addimus: deinde, quasi quibusdam exsolutus uinculis, libere uagatur, & uoluptate pascitur animus honestissima. nullis hic angimur curis, nullis implicamur negotijs: licet id, quod antea numquam licuit, prorsus nihil agere, si uolumus: & quod licet, saepe uolumus. nam uehi curru, opida inuisere propinqua, amicorum uillulas obire, conuiuari etiam interdum, suauissimisq. epulas condire sermo-

sermonibus,hoc ipsum uoco nihil agere. quamquã, qui ualetudine parum firma, operam dat, ut suauiter,iucunde,& honeste simul uiuat, is profecto nihil agere mihi non uidetur. Sed in hoc tamen uitae genere libros,communes delicias nostras,abiecisse me penitus, nolim existimes. nobiscum ubique sunt,comites numquam molesti,loquentes,silentes, cum uolumus, quoad uolumus. & quamquam ueteris morbi reliquiae quaedam supersunt, & uires adhuc languent:quiddam tamen aggredi sum ausus;quod si,ut spero,absoluam; & si, ut principia dare se uidentur, ita procedet industria, uel a te probabitur;(a te cum dico,qui subtiliter, & sincere iudicant, simul omnes intelligo. tu enim is es, quem nec opinio fallat,nec uoluntas a ueritate detorqueat)uel,quin me putes omnis expertem ingenij,nec de mea,nec de cuiusquam omnino facultate statuere,& existimare quidquam posse, non recuso. Locus ipse me,uacuus interpellatoribus,et haec uiuendi arbitratu meo, rerum omnium dulcissima, optata antea potius,quã sperata libertas inuitauit, ut ordirer id, quod, nisi sedem hic statuo, aut certe,nisi in hoc secessu,& in hac paene solitudine(nã si cum urbe conferatur, quamquam celebre sat s opidum,solitudo tamen quaedam uideri possit)maiorem anni partem consumpsero, uereor, ne sero admodum, fortaße etiam pertexere numquam liceat.opus est nec temporis,nec laboris exigui,tẽpus hic,ut uideo,deesse non potest:laborem commu-

nis utilitatis gratia numquam adducar ut fugiam: interim tamen, superiore periculo admonitus, operea curaeq. plus in ualetudinẽ, quam in studia, con feram. Vale. Ex opido Plebe Sacci, VI. Id Nou. M. D. LXX.

HENRICO ET CAMILLO CAETANIS, FRATRIBVS, Bonifacij Principis filijs, Romam.

Laetari *uos arbitror, nobilissimi adolescentes, pro uestra erga me beneuolentia, meo in patriã reditu, minime dubitantes, quin tranquille uiuam, uacem ijs molestijs, quibus in urbe Roma carere uix poteram, fruar ijs studijs, cum quibus uoluptatem nullam confero. nam de fructu, quem posteritas capere possit ex industria mea, nihil dico. conatus equidem a puero sum, idq. mihi propositum in omni uita fuit, ut omnibus meo labore prodessem: utrum autem, quod sequebar, assequi licuerit, ad meum iudicium non reuoco: uiderint ij, qui nostra legẽt. ego mihi temere nihil arrogo, nec assentor libenter, aut ita gloriola ducor, ut falsae opinionis errore, quod uideo multis contingere, oblectari me sinam. quod si nihil alijs prodesse possum: bene tamen mereor de me ipso, dum ea lego, quibus curae sedantur, dissipatusq. perturbationibus animus colligitur, & ab admiratione rerum inanium ad uerae solidaeq. felicitatis*

tatis

tatis cupiditatem traducitur. hoc bono Romae carebam, quia carebam litteris, & otio, molestissimis implicatus occupationibus, quarum ipsa nunc recordatione commoueor. itaque, um opinari & credere nonnullos audio, eo me consilio ab urbe discessisse, ut, recuperata ualetudine, redirem: ita statuo, uel eos ignorare, quam infeliciter mecum actum sit, quam diu Romae uixi, uel in illo quingentorum scutatorum stipendio tãtum ponere, ut easdem subire molestias cum eodem expediat emolumento. qui si naturam moresq. meos tenerent: profecto lõge aliter sentirent. non enim aut stipendium illud, aut ulla me lucri cupiditas Romam perduxit: quamquam haec priuatae sortis homo non contempsi: sed spe sum allectus prope certa, uitae cum dignitate traducendae, fruendi nõnumquam studijs meis, amicorum consuetudine, uoluptatibus etiam homine ingenuo, & liberaliter educato non indignis. quam contra ceciderit, uos optime nostis. nunc, uel si stipendio uocarer multo maiore, sic insanirem, ut meã quietem, diuino mihi munere post annos decem restitutam, mea studia, ipsam denique ualetudinem ullo pretio uenderem? tum uero, si eadem illa contingerent, iure plecterer: nemo excusatione, aut uenia dignum duceret. nemo querentem audiret: nemo opem ferret imploranti: ad auaritiae culpam, & immodicam habendi libidinem converterentur omnia. Praestat igitur sapere, idest, quam alij fortunam admirantur, eam contemnere, paucis acquie-

scere,

ſcere,& iiſdem contentũ eſſe,quibus ipſa contenta natura eſt:quae,dum uitae arceantur incommoda, & alimenta ſuppetant neceſſaria, praeterea nihil deſiderat. Iam aetas,& ualetudo, haec admodum infirma,illa quotidie magis ingraueſcens, admonẽt me,cupiditate ne prouehar longius;uela cito contraham,& impendẽtes futurae uitae procellas extimeſcam.itaque facio nõ inuitus,ut,cum huius peregrinationis exitus haud longe diſtet, non tam de uia,quae minima reſtat,quam de exitu ipſo,qui prĩcipium afferet aeternae uitae,cogitem, atque elaborem. Haec ideo collegi,ne quando uos, aut aliquis potius ueſtri diſsimilis, (nam id quidem a prudẽtia ueſtra exſpectandum non uidetur) diſplicere mihi conſilium meum ſuſpicari poſſet, quod in patriam uenerim. quod utinam biennio maturius feciſſem.non incidiſſem in eum morbum,quo ualetudinem in perpetuum fere perdidi:rationes hic domeſticae minus iacturae feciſſent:ſtudia fortaſſe mea fructum ſtudioſis aliquem tuliſſent. Vna tamẽ ex hoc naufragio tabula me delectat, quod opinione fruor amoris in me ueſtri; quod ex diſciplina, praeceptisq.meis maximum uos in ea uia, quae ad eloquẽtiã ducit, feciſſe progreſſum intelligo; quod perſpecta denique indole,uoluntate,induſtria ueſtra, augurari facile poſſum de futura gloria : nec locum iam habet adhortatio:curritis enim ueſtra ſponte, quo patrui Cardinalis dignitas,& uirtus, quo parentis integritas, & ſapientia,quo auita decora,

&

& maiorum nomen immortale uocat. Valete. Venetijs, IX. *Kal. Dec.* M.D.LXX.

IO. CASELIO
ad arcem Sucriniam.

VRBEM *Romam ante duos menses, difficili diuturnoq. coactus morbo, reliqui. melius omnino mihi nunc est: necdum tamen ita ualeo, ut intermissa officia repetere audeam. libros parce attingo: amicorum litteris, nisi graue sit argumentum, aut breuiter admodum, aut prorsus nihil respondeo: negotia reliqua, ut ualere ipse possim, ualere iussi. ea re nec scripsi ad te antea; & in posterum ne quid oneris mihi i͂ponas, quod i͂firma ferre ualetudo nequeat, a te peto. Familiares tuos, nobiles adolescentes, Ioachimum Basseuitium, & Nicolaũ Rasciũ, uerbis perhumaniter accepi: re non iuuo; quia nec ipsi rogant; & mihi, quid eorum caussa praestare possim, ipsis non rogantibus, in mentem non uenit. modesti sunt omnes, & morum elegantia praediti. ingenio, & litteris, cũ a te diligantur, tuaq. consuetudine sint usi, non dubito, quin pro aetate excellant. ac sapienter quidẽ eos facere iudico, quod apud nos aliquandiu sibi uiuendum statuant. praeclaram enim indolem, materiẽq. uirtutis haud mediocriter caelum Italicum adiuuabit. quod eo magis laetor, quia redundabit ad te aliquid ex eorum summa laude; cum uel alumni fuerint disciplinae tuae; uel tuis hortatibus, consilijsq. in Italiam, quasi ad*

mercatum

mercatum bonarum artium, se contulerint. mihi autem, caue putes, gratius quidquam esse posse, aut curari a me libentius, quam quod ad existimationem pertinere tuam intelligam. id adeo cum praestanti doctrinae tuae, studijsq. ad communem utilitatem spectantibus, tum summae erga me, perspectae iam satis atque cognitae, beneuolentiae debere mihi uideor. Vale. Venetijs. XIIX. *Kal. Ian.* M. D. LXX.

HORATIO CARDANETO
Perusium.

GRATVLOR *tibi, mi Cardanete, nec sane magis ex animo gratulari possum, quod nobilissimorum adolescentum, Henrici, & Camilli Caetanorum, fratrum, auctus amicitia sis. melior omnino reperiri ratio nulla poterat, qua ferrem aequius eorum me consuetudine carere, quam quod utantur tua. te enim uel studiorum similitudine, uel animorum coniunctione, uel mutuis etiam officijs quasi me alterum esse puto. qua modestia sint, qua grauitate, qua prudentia, quam a communibus ingenijs differant, quam a deprauatis huius saeculi moribus abhorreant; quia breui admodum ipse intelliges, nihil dicam. auguratus quidem antea sum, si diuturna utrique uita contigerit; quod in tanta bonitate, tam propensis ad ueram laudem studijs, ab immortali Deo sperandum uidetur: nullam esse glo*

riam

riam tantam, quàm non facilè consequantur; nullos honores, qui non eorum uirtutibus ultro deferantur. Te rogo, pro eo quanti me facis, conferas in eos quidquid poteris officij, studij, obseruantiae; quodq. facere cum omnibus, qui te norunt, solitus es, id tibi cum ipsis praecipue faciendum putes, ut ijs pateant opes ingenij, eloquentiae, doctrinae tuae. De meo statu, quidquid possum scribere, ut uideo, cognitum iam habes. in eo tamen erras, uel potius errare te coegit aliorum sermo, quod me bene nummatum in patriam rediisse putas. decem enim annorum laboribus uix tria scutatorum millia, idest quantum ad filiam collocandam requiratur, colligere potuimus. ita mihi nullae pecuniae, nullum uectigal, praeter ueterem frugalitatem, & , quo uectigal nullum est uberius, animum paucis contentum, relinquitur. quare gratulari te mihi uelim, non quod abundem, quod falsum est, sed quod tranquilla mente uiuam, quod in studijs quantum ualetudinis ratio permittit, quod cum meis, quod denique nullis implicatus negotijs, sed in summo otio, summa quiete, summa libertate. quae sunt omnibus diuitijs, recte intelligentiū iudicio, anteponenda. Vale, & Illustrissimis Caetanis salutem dices a me plurimam. Venetijs. XVII. *Kal. Ian.* M. D. LXX.

ANTONIO ROLANDO Patauium.

ADHVC *languebam ex uetere morbo: & filio non leuiter aegrotante, eram sane perturbatior: committere tamen nolui, ut epistolae tuae, insigni praesertim Homerica magniloquentia, & beneuolentiae notis erga me tuae, nihil omnino responderem. Quod petis, ut orationem tuam corrigam: primum id quidem necesse non est; cum scriptor sis luculentus, iudicioq. excellas: deinde uero tantum ab re mea mihi otii non est, aliena ut possim legere. aut enim non uaco: aut, si quid temporis conceditur, ad ea, quae inchoata, rudiaq. iampridem habeo, absoluenda, & perpolienda totum confero. quare a te peto, ut habeas rationē & ualetudinis, & occupationis meae. Ego, postea quam in patriam reuerti, negotiorum magnitudine defatigatus, a tate etiam admonitus, & Venusini Poetae uersu, Solue senescentem mature sanus equum, mihi & Musis dumtaxat uiuere constitui. nullas suscipio curas, nisi quas rerum domesticarum necessitas imponit. nouas amicitias non expeto: ueteribus colendis operam non do: cum uxore, liberisq. suauissimam uitam duco. hic enim dies, ut ille ait, alios mores, aliam uitam postulat, amicorum copia quid praeter molestiam habeat, nō uideo. si quis aliter sentit, arbitratu ipse suo uiuat: ego malo mihi*

sapere,

sapere, quam alijs. De uxore a te ducta, de susceptis liberis, ualde tibi gratulor. nam, etsi onus alendae familiae, durissimis temporibus, magna rerum omnium caritate, perquam graue esse non ignoro: te tamen, uirum bonum, peritum optimarum artium, tua uirtus ex omnibus incommodis, ac difficultatibus eripiet: aderitq. Deus, cuius eximia benignitas praeclaris conatibus & optimis studijs deesse numquam solet. Vale. Venetijs. X. *Kal. Ian.* M.D.LXX.

INDEX. EORVM AD. QVOS. MISSAE. SVNT EPISTOLAE

GVLIEL-

G.

H.

I.

M.

N.

O.

P.

FINIS.

SERIES. CHARTARVM

a b c d e

Omnes sunt quatterniones, praeter e, qui est duernio.

Aldus Iunior